Quelle: https://manuscripta.at/?ID=6806
Copyright: CC BY 4.0 <img
src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png">

numerati sunt in castris ephraim centum octo milia cum turmis suis tertio profiscentur ad aquilonis partem castrametati
f. sunt filii dan: quorum princeps fuit ahiezer filius ammisaddai. Cuius exercitus pugnatores eius qui numerati sunt: sexaginta duo milia septingenti. Iuxta eum fixere tentoria de tribu aser: quem princeps fuit phagiel filius ochran. Cuius exercitus pugnatores eius qui numerati sunt: quadraginta milia et mille quingenti. De tribu filiorum neptalim princeps fuit ahira filius enan. Cuius exercitus pugnatores eius: quinquaginta tria milia quadringenti. Omnes qui numerati sunt in castris dan: fuerunt centum quinquaginta septem milia secundi: et novissimi profiscentur. Hic numerus filiorum israel: per domos cognationum suarum et turmas diuisi cum ceteris: sexcentena milia quingenti quinquaginta. Leuite autem non sunt numerati inter filios israel. Sic enim preceperat dominus moysi. fecerunt que filii israel iuxta omnia quemadmodum mandauerat dominus. Castrametati sunt per turmas suas: et profecti per familias ac domos patrum suorum: Capitulum iiij.
d. Hec sunt generationes aaron et moysi in die quo locutus est dominus ad moysen in monte sinai: et hec nomina filiorum aaron primogenitus eius nadab: deinde abiu: et eleazar et ythamar: hec nomina filiorum aaron sacerdotum qui uncti sunt et quorum iplete et consecrate manus ut sacerdotio fungerentur
mortui autem sunt nadab et abiu cum offerrent ignem alienum in conspectu domini in deserto sinai absque liberis: functique sunt sacerdotio eleazar et ythamar coram aaron patre suo. locutusque est dominus ad moysen dicens: applica tribum leui: et stare fac eam in conspectu aaron sacerdotis ut ministrent ei et excubent: et
6. obseruent quicquid ad cultum pertinet multitudinis coram tabernaculo testimonii ut custodiant vasa tabernaculi: functos in ministerio eius. Dabisque domino leuitas aaron et filios eius: quos traditi sunt a filiis israel. aaron autem et filios eius constitues super cultum sacerdotii. extraneus qui ad ministrandum accesserit morietur. Locutusque est dominus ad moysen dicens. Ego tuli leuitas a filiis israel pro omni primogenito qui aperit vulvam in filiis israel erunt que leuite mei. meum est enim omne primogenitum. ex quo percussi primogenitos in terra egipti: sanctificaui michi quicquid primum nascitur in israel. ab homine usque ad pecus mei sint. Ego dominus. Locutusque est dominus ad
7. moysen in deserto sinai dicens. Numera filios leui per domos patrum suorum et familias: omne masculinum ab vno mense et supra. Numeraui moyses ut iusserat dominus. et inuenti sunt filii leui per nomina sua. gerson et caath et merari. filii gerson. lebni et semei. filii caath. amram et iesehar. hebron et oziel. filii merari. mooli et musi. De gerson fuere familie duae. lebnitarum et semeitarum quarum numeratus